

ESTICA
A. 5085

164.

869

12/108

ORATIO
DE
HISTORIARUM
PRÆSTANTIA
& usu,

16.

Scripta & habita à

Johanne Loccenio JC.

17

IN NOVO AUDITORIO REGIÆ
Acad. Upsal. cum illi in eadem Ill. Academia
Ordinaria Historiarum Professio
committeretur.



Upsaliæ,

Excudebat ESCHILLUS MATTHIÆ Acad.
Typog. Anno 1627.

Ex libris porri

Illustri & Generoso
Dn. GUSTAVO AXELII
OXENSTIERNA, LIBERO BARONI
de Rimetho &c.

Regia Academia Upsaliensis Magnifico
Dn. Reclori,

Magno Parente Potentissimi hujus Regni Dn. Cancellario Magnificentissimo, digno Filio, nobilissimo Sueticæ juventutis flori & Ornamento eximio.

Orationem hanc Auspicalem officiosè D. D. D.

JOANNES LOCCENIUS
Hist. Prof. Ord.

JOHAN. LOCCENII
O R A T I O

DE
Historiarum Præstantia & Usu.

REVERENDISS. Dn. Archiepiscopo & Procancellarie, Generosiss. & Magnifice Dn. Rector, Generosi Dn. Barones, Reverendi, Excellentissimi & Clarissimi Dn. Professores, Tuq. Nobiliss. & Ornatiss. Studiosorum corona, Postquam DEI beniginitate mihi contigit aliquem literarum gustum habere, semper eò aspiravit animus, ut quicquid ex hoc tenui agello fructus sperari posset, ejus messem qualemcumq. aliquando meteret juventus literaria: hujus desiderij explendi spem hodierno die mihi affuisse, grato quidem & demisso agnosco animo, sed cum muneris mihi demandati difficultatem cum virium mearum infirmitate contendo, non parum animo me concuti fateor. Est enim Historiarum tam latus Oceanus, ut parva cymba transmitti non facile possit. Veruntamen recreat me rursus S. R. M:is clementia

A 2 de

deuote mihi
perspicua quam
vultu perant posse
magni

^{perant posse magni}
thesauri loco merito ducimus: Subleuat me autoritas
Dn. Cancellarij hujus Academiae Magnificentissimi,
cujus favorem prolixè expertus sum, non tam quod e-
go merear, quam quod ipsius gravitas aequabili huma-
nitate temperata ita ferat: erigit me vester Eximij,
Reverendi & Clarissimi Viri non minus comis quam
venerabilis conspectus, qui vestram erga me benevo-
lentiam & amorem clare loquitur, etiam sitaceat. Sed
me ipsum ubi respicio, partium mearum esse video, ut
quod virium facultati deest, improbo labore suppleam,
& omnes industriae meae nervos intendam in serua pro-
vinciae hujus administratione, quod ut rei literariae
bono sit, Deus velit, iubeat, faxit. Verum ut Stu-
diosa iuventus cognoscat, cuius causa hoc convenit,
quid in posterum sibi polliceri debeat de Historica Pro-
fessione, hoc, si placet, eamus. Non possum equidem
insicias ire, plurimos pleno ore depraedicasse dignita-
tem Historiarum; tamen quae est ubertas & excellen-
tia earum, nondum exhausta est adeo dicendi materia,
ut non plura dictis adhuc supersint. Itaque de magno
rerum cumulo pauca quaedam delibabo, quae ad praesens
institutum maximè facere iudicavero: in primis
de Historiarum praestantia & utilitate. Illa verò si
non oratione sic explicare possim ut debeo, tamen volo
ut possim: quod & vobis volentibus ac faventibus fo-
re, vestra mihi spondet benignitas. Me-

^{tempore}
conditionem penitus explorare vellet, fertur apta-
tis sibi alis ad exemplum, Dædali in caelum subvo-
lasse, indeque curioso notasse oculo, quicquid homines in
terris edificarent, ararent, navigarent; quicquid do-
mi inter sese, foris cum alijs vel adversus alios moli-
rentur, ut pro se quisque, dolium suum voveret, ut alij ho-
nestis studijs dediti bonae artis famam quaerent, alij
magno conatu magnas nugae agerent. Tandem phi-
losophum è caelo re-versum in patriam, effuse risisse re-
rum humanarum vanitatem. Sed habeant sibi qui-
bus hoc placet commentum. Nos verò satis scimus,
Historiam esse quae nobis vitae minimum remoto velo a-
perit: ex hac rerum humanarum ortum, progressum
ac declinationem tanquam ex specula non in sublime
rapti, sed in hoc solo positi contemplari possumus. Et
humanae ac civiles res non tantum hic contemplari
datur, sed etiam naturae miracula: nec illa tantum, sed
& memoriam rerum sacrarum, quae utriusque fœderis
paginam implent. Sacram autem cum dico Histo-
riam, etiam adiungo civilem, nemo putabit me hoc age-
re, ut hanc illi aequem. non sic insanio. quanto enim di-
vina praestant humanis, religiosa ethnicis, tanto emi-
nentior est historia sacra quam ethnica. Hoc tamen
omnes aequi mihi dabunt, utramque frontibus adversis
inter se non plane pugnare, quemadmodum postea vi-

Menippus olim
cum veram
humanarum
sortem et

de bing: nec
ut ut uilgo
dicitur, ita pro
fanam: omnino

existimandam esse Historiam externam: quod enim
morum ac vita emendationi inservit, non utiq; mere-
tur dici profanum. Sed de vocis notione non est quod
contentionis funem ducamus, modo hoc constet, exi-
mum esse Dei donum rerum descriptionem, nec par-
vum in eo momentum esse, ut memoria rerum gesta-
rum integra ad posteros transmittatur. Quod vix
alio modo commodius & accuratius fieri potuit, quam
literarum monumentis. Fertur Sesostris Rex Æ-
gyptiorum duos obeliscos è duro lapide 120. cubito-
rum altitudine erexisse, quibus inter alia nationum
debellatarum numerum inscripserat: sed utcumq; è du-
ro lapide essent excitati, tamen tempus edax rerum
consumsit. Visuntur hodieq; Romæ duæ insignes co-
lumnae Traiani & Antonini è puro marmore: qua-
rum illa 128. pedum, hæc vero 176. pedum altitudine
constat, & utriq; mirâ arte circumquaq; incisa sunt si-
mulacra rerum à Traiano & Antonino gestarum.
Sed & has temporis vetustas sensim atterit. At Hi-
storia est monumentum omni lapide, omni ære peren-
nium. Veteres Athenienses strenuorum Ducum ge-
sta peplo intexta in templo Minervæ suspendere so-
lebant: Sed & hoc pepulum tandem vermibus & ti-
neis esca fuit. At Historia est verum Minervæ pe-
plum, cui intexta præclarorum Ducum præclare ge-
sta

Ita immortalitati consecravit. Ita decus virtutis non
tantum apud præsentis, sed & post genitos Historia
semper servat integrum, & præstat, ut præclari He-
rões non tantum vivi famæ suæ intersint: sed & mor-
tui in serâ posteritatis ore ac memoria semper vivant.
Contra verò improbis infamiæ metus apud posterita-
tem ex Annalibus nascitur, unde mallent acta sua
perpetuâ oblivione deleri quam publicè legi. Idemq;
illis usu venit, quod olim Themistocli, ad quem eum
quidam homo accessisset, eiq; se artem memoria tradi-
turum promississet, Themistocles quaesivit, cui bono
esset illa ars; doctor ille dixit: ut omnia meminisset.
Themistocles verò respondit se malle ab ipso artem
oblivionis quam memoria discere. Recognoscens e-
nim delicta iuventutis suæ, malebat illa oblivisci, quã
meminisse: ita Tyranni & homines scelerati mallent
scelera sua eodem tumulto quo corpus tegitur obrui,
quam in memoria hominum versari: veriti scilicet,
ne Historia larvam ipsis detrahat, & toti mundo i-
psorum vitia non sine insigni turpitudinis notâ osten-
dat. Tantum itaq; situm est in memoria rerum con-
servanda! tam præstans, tam iucunda res est recte se-
cusve factorum ad posteros propagatio. Et sane non
video numquid esse possit iucundius, quam tot ac tan-

Ita immortalitati
fati consecravit
efficit, ut quo
fortitudo

tas res, quot
et quanta, ab
omni quo ad no
stram uis

eratem transmissas & literarum monumentis consti-
gnatas legimus, tot diversis temporibus, tanta varie-
tate casuum gestas sub uno conspectu collocatas habe-
re, ita ut instar Iani bifrontis *πεῖρος ὠκεία, ὀπίσσω* & pra-
sens & praeterita secula intueri queas, & in illa tem-
pora relabi quae dudum transacta sunt: imò tempora
dudum elapsa quasi postliminio revocare & reducere.
In illo aëvo, in illa Rep. versari, in qua nunquam vixisti,
quae nunquam te civem suum habuit; & tamen non ibi
hospitem, non peregrinum esse. Ecquid majori vo-
luptate potest animum perfundere? quam divinam
providentiam & omnipotentiam non tantum in ope-
ribus Dei divinitus nobis patefactis contemplari, mi-
rari ac celebrare (quod certe maximum est) sed & in
naturae stupendis. Quid amari? quam si te Hi-
storia naturalis modo in regiones aëris & ipsas nubes
subvehat: modo in ipsa terrea viscera tecum eat, & gre-
mium tibi communis nostrae matris aperiat, modo pro-
fundum maris tecum scrutetur, & quicquid mare con-
tinet. Quid magis afficiat animum? quam si tot
casus, tot eventus, tot pericula aliorum ipse à pericu-
lo remotus videas? si bella, si praelia, si clades cruen-
tas ipse extra telia iactum positus aspicias? si seditio-
nes & motus aliorum ipse tutus ac mente compositus,
ipse neutrarum partium (hoc enim licet hic) intue-
aris.

vis. Ecquid magis volupe
tractare, ut non per transeunam inspicere, sed quasi in
rem praesentem deduci videaris, ut res non narrari,
sed coram geri videatur, ut res quae narratur, affectus
tuos huc illuc impellat, ita ut ex hac relatione letior,
ex illa commotior surgas: ita ut hujus fortuna applau-
das, illius casum misereris. Et ut verbo dicam, quid
sensui magis cognatum, quid magis eum demulcet?
quam recordatio rerum omni aetate gestarum? quam
vel nuda illorum Heroum commemoratio, illorum de-
cantatio quos priscum tulit aevum? Quod & Achil-
les Homericus in se non sine singulari voluptatis titil-
latione deprehendit. Ad hunc enim cum legati Aga-
memnonis venirent, offendunt illum domi majorum
gesta citharâ canentem, & hoc dulci cantu animum
suaviter oblectantem. Veteres etiam barbari toti
Martis pulli carminibus soliti sunt celebrare gentis
suae memoriam: & sic non tantum ipsi fecere canen-
da, sed & aliorum praclare facta canere gratum &
jucundum ipsis fuit. Sed hac non eo animo dicta volo,
quasi solius delectationis causa putem consecrandam
esse rerum memoriam, quasi circulatorum tantum &
conviviorum otiosum thema esse velim, non ita sane;
nam hoc modo Historia fabula propior sit & inanibus
figmentis, quae ad colum & fusum, unde malum pe-
dem intulerunt, relegamus. Ego quidem sic sentio,

B

illos

is: Ecquid ma-
gis voluptatis
quam te sic
Noxian

illos qui
poris ad misit
aliquid quam
narrandum

utuntur, similes esse ijs qui nummos ad nullum alium
usum quam ad numerandum circumferunt. Itaq; vi-
dendum ne inter voluptatis studium elabatur id, quod
ad vitæ civilis commodum maximè spectat. Sed cur
tu ergo iucunditatem Historiæ commendas? dicat ali-
quis. Paucis me expediam. Id ea mente facio, quod
maxima pars hominum iucundis potissimum delecta-
tur, quibus autem delectatur, ijs assensum facile præ-
bet: hoc modo putavi, ipsam etiam amenitatem Histo-
riæ (si nullam adjunctam haberet utilitatem, quam ta-
men insignem habet) quosvis nisi nive Gallica frigi-
diores invitare posse ad interiorum ejus usum ac fami-
liaritatem: quod ita tamen accipi velim, ut utilitas
hic primas obtineat. Solem enim aureum illud cali-
lumen omnes merito miramur, ob pulchritudinem, sed
usum ejus præcipuè commendamus, quia indies expe-
rimur. Ita Historia delectat quidem, magis tamen
prodest. Quod autem prodest, id jure præferri de-
bet illi quod delectat. Hoc ergo quod magis pro-
prium & necessarium est præ illo, quod minus, agamus.
Est autem Historiarum utilitas in communi vitâ tam
evidens ac tanta, ut vix magni voluminis spatij, ne-
dum unius orationis angustijs includi se patiatur: tam-
latè enim patet, quam diffusa ac varia sunt res quas
Historia tractat. Ego tamen ita me comparabo, ut
in u-

in unum verum aliquam
quod rem ipsam non obscure vobis commendatam red-
dere possit. Quod ut planius faciam, quaeso liceat
mibi per ipsas facultates (ut vulgo vocamus) ac artes
suspensio pede paulum ire, usumq; Historiarum hic pau-
cis ostendere. Et primo quidem in S.S. Theologia.
Deum legibus & exemplis genus humanum ad pie ac
honestè vivendum instruxisse, apud omnes in confesso
est. Ipsas Decalogi leges vel præcepta à summo Deo
authore profecta esse nemo puto Christianorum vel i-
gnorat vel dubitat. Hac præcepta quemadmodum
Deus ipse consignavit, & posteritati per manus tradi-
voluit, velut certissimum divina voluntatis deposti-
tum, & cynosuram vitæ humanæ sanctissimam: ita per
Prophetas & Apostolos tanquam fideles suos actua-
rios & scribas, patefactionum, miraculorum, benefi-
ciorum suorum & aliorum operum divinarum exem-
pla Ecclesiæ à condito mundo exhibita memoria man-
dari voluit, ut Deum ubiq; præsentem, semper justum,
semper optimum maximum loquerentur, & tot præ-
claris testimonijs ad legum divinarum observanti-
am ac timorem Dei nos excitarent & quasi manu-
ducerent. Non dicam jam, quanti sit usus temporum
notatio in rebus sacris: ut sciamus quæ fuerint Eccle-
siæ nascentis primordia, quis status, quæ persecutio-
nes: & quomodo Deus in medijs fluctibus jactatam
B 2 mi-

in unum verum
aliquid dicam
de utilitate
Historiarum.

quum in meo
dum tenuerit
et porro (er-
uatur) ut

ut & ipsa inferni portae adversus eam nihil possint.
Et hac in transcurso de Historiae usu in Theologicis.
Sed haecenus allata nonne Historiam Ecclesiasticam
propius tangunt? fateor equidem. Sed & Historia
externa usu suo non hic caret, nec penitus eam excludit
Theologia. Nam in propagationibus & mutationi-
bus imperiorum, in praemijs honeste factorum, in publi-
cis calamitatibus ob prave facta, testatam quoque nobis
facit providentiam ac justitiam divinam, ostenditque
illam ubique elucere, & scelera in quacunque gente depre-
hensa vindicare. Praeter hoc Historia civilis etiam
exempla virtutum ad secundam Decalogi tabulam spe-
ctantia commodè subministrat: exempla scilicet civi-
lis civitas & obedientia, fortitudinis, humanitatis,
justitia distributiva & commutativa, temperantia,
aliarumque virtutum moralium. At Theologia pergo
ad Juris prudentiae studium, quod si notitia Historiae
destituatur, non natura juris gentium, non origo, non
progressus & ordo juris civilis rectè capietur. Ne
longius abeam, hujus rei fidem nobis faciet antiquior
Accursij Icti alias celeberrimi. Ille in ipsa juris in-
cunabula fadè impedit, cum ex antiqua Historià illa
non rectè didicisset. Sed inspiciamus eius errorem
vel fabulam potius: Athenienses ait noluisse Roma-
norum legatis legum suarum copiam prius facere (sci-
tis

(scitis autem Romanos leges, quibus
cis petivisse) quam periculum fecissent, an essent di-
gni Romani, quorum petitioni locum darent: & hu-
jus rei nomine Romam misisse Graculum quendam.
Hic ut Romam venit, a Romanis ei oppositum fuisse
fatuum qui cum eo disputaret: ea tamen lege ac con-
ditione, ut neuter verbum emitteret (videte novum
disputandi genus) sed nutu oculorum digitorumque ge-
stu quasi loquerentur. Ibi tum varia ac miranda animo
suo voluisse Gracum de uno Deo, de Trinitate, de omni-
potentia Dei & alijs Fidei mysterijs: interim fatuum
illum Romanum diversa animo suo agitasse, & gesti-
bus, quantum potuit, indicasse, ita tamen ut nemo in-
telligeret. Haec est illa fabula otiosa potius anu quam
Accursio digna. Sed à quo nugatore habet eam Ac-
cursius? an exsculpsit ex suo cerebello? certe Diony-
sius Halicarnassensis, Livius & alij hac de re ne gry-
quidem: imo nec ipse Pomponius in Historia de origi-
ne Juris. Sed ne sollicitemus manes boni Accursij,
condonabimus hunc errorem reliquis ejus in Jus civi-
le meritis. hoc tantum teneamus, etiam magnos Ictos,
qualis erat Accursius, interdum haerere & quasi in ali-
eno foro versari, si Antiquitatis & Historiarum cog-
nitionem plane insuper habuerint: quae non minimè af-
fert subsidium ad evidentiorum Juris intellectum. Ac-
cedit & hoc, quod jura veterum privilegiorum, praescri-

scitis a. Roma
nos leges suas
XII Tab. x. lxxv

tionum, et ali-
orum actum
civilium (repe-
possunt erui ex
pub.

Annalibus indeq; corroborari: quod aliarum Rerum-
pub. leges, mores ac instituta possunt observari & de-
promi ex monumentis Historie, ac cum jure patrio
non inutiliter conferri: nec conferri tantum, sed &
pro temporum usu ac conditione nostra Reip. pruden-
ter interdum usurpari. Quin & ipsum Jus publi-
cum, quantum quantum illud est, non melius quam ex
Historia potest illustrari. Sed & Medicina & Phy-
sica non respuunt usum Historiarum, quod satis argu-
it Historia naturalis Aristotelis de Animalibus, Theo-
phraستي de Stirpibus, Plinij maioris opus tam varium
quam varia est ipsa natura. Verum ad Philosophi-
am, in cuius censu quoq; censeari solet Historiarum do-
ctrina, contendo. Disciplinas organicas Historia-
rum commercium non penitus avertari, in Logica pro-
bant Inductio & Exemplum. Quantum etiam con-
ferat Historiarum cognitio ad dicendi facultatem or-
nandam & locupletandam, satis in aperto est. Com-
memorationem enim antiquitatis exemplorumq; pro-
lationem, summa cum delectatione & auctoritatem o-
rationi afferre & fidem, nec ipse Cicero diffitetur.
Quantum item conferat ad linguarum cognitionem,
clamant tot Historicorum monumenta primarijs lin-
guis consignata & conscripta. Si vero Mathema-
ticas scientias inspicias, in primis à Geographia, Geo-
me-

metria & Astrologia Historiarum
rum intervalla dignoscenda in partem vocari, nemo,
ut puto, ambigit. Taceo quod Philosophus exem-
pla saepe ex Historia vel rebus sensui subjectis petit,
quibus abdita Philosophia alias cimmerijs tenebris ob-
scuriora illustrat & in clara luce ponit. Quin &
Poësis non semper circa res fictas (quamvis veritatis
sipario involutas) occupata est, sed & ab Historia sa-
pe mutuatur rem verè gestam, quam numeris suis in-
cludat, ut Lucanus ac alij fecere. Sed accedamus
tandem ad Philosophiam Practicam, in qua historia-
rum usus se potissimum exerit, cum qua familiari-
ter consuescit. Ethicus enim & Historicus fine non
differunt, sed tantum tradendi modo. Quas virtu-
tes Ethicus in abstracto (ut Logici loquuntur) eas Hi-
storicus in concreto considerat. Quod Ethicus præ-
ceptis, hoc historicus exemplis præscribit, quæ sunt po-
tentissimum docendi monendiq; genus, & melius
Chrysippo ac Crantore dicunt, quid honestum, quid tur-
pe, quid sequendum, quid fugiendum: idq; tantâ effi-
caciâ, tantâ evidentia, ut videantur armare Iudicis
manum gladio, ut videantur ostendere lictorem, vir-
gas, securim, crucem & alia suppliciorum genera
illis, qui præcipientes ruunt in gravia & atrocia scele-
ra: nec videantur tantum, sed & ostendant in vivis
exemplis, quæ quem non deterreant à vitijs, illum nec
ipsa

metria et A-
strologia, Hi-
storiâ ad lo-
corum et tem-
porum

ipsa iulias feria
vit. Contra illu-
tatem ornant
coronis

rem agn. Unde (Ibidem)
Grace dicere, ut elegantius dicam) ἢ αὐτῆς ἀρχαίας δὲ
ζητῆν διὰ τε τῶν λόγων καὶ τῶν γιννομένων διὰ τῆς αἰσθήσεως. Non
tanta, inquit, subtilitate egent ea in quibus sensum se-
quimur, quam quæ rationibus investiganda sunt. Poli-
ticus verò non tam exempla, quam demonstratio-
nes in medium affert. Hoc tamen mihi iterum, sat
scio, largietur Politicus, si thesin ego referam ad hypo-
thesin, si exemplum applicem ad communem quan-
dam regulam vel præceptum aliquod Politicum; quod
omnino fieri necesse est in verâ Historiarum interpre-
tatione. Ita enim Politica & Historia sibi mutuas o-
peras tradunt, & coniurant amicè, ut Historia quoq;
sit Philosophia practica constans exemplis. Sed ubi
versor? quò in diversum ab eo? tandem domum redi-
bo, ne quæ extra territorium nostrum videantur esse,
curiose nimis vel arroganter persequi dicar (quamvis
me tamè ab hoc absolvit vestra humanitas) & speculia-
riter quadam edisseram de Historia usu, quatenus per
se seorsim spectatur. In quo tamen ita me geram, ut
patientiam vestram non abutar nimis. Civilem Vitam
in belli pacisq; tempora distribui, nemo paulò humanior
ignorat: ad utrumq; tempus rectè gubernandum post
Pietatem inprimis prudentiam opus esse, qui vis puto
mecum facile iudicabit. Illa autem prudentia unde
paratur, nisi ex Historia? unde facilius, inquit fa-
rem.

rem agn. Unde (Ibidem)
Grace dicere, ut elegantius dicam) ἢ αὐτῆς ἀρχαίας δὲ
ζητῆν διὰ τε τῶν λόγων καὶ τῶν γιννομένων διὰ τῆς αἰσθήσεως. Non
tanta, inquit, subtilitate egent ea in quibus sensum se-
quimur, quam quæ rationibus investiganda sunt. Poli-
ticus verò non tam exempla, quam demonstratio-
nes in medium affert. Hoc tamen mihi iterum, sat
scio, largietur Politicus, si thesin ego referam ad hypo-
thesin, si exemplum applicem ad communem quan-
dam regulam vel præceptum aliquod Politicum; quod
omnino fieri necesse est in verâ Historiarum interpre-
tatione. Ita enim Politica & Historia sibi mutuas o-
peras tradunt, & coniurant amicè, ut Historia quoq;
sit Philosophia practica constans exemplis. Sed ubi
versor? quò in diversum ab eo? tandem domum redi-
bo, ne quæ extra territorium nostrum videantur esse,
curiose nimis vel arroganter persequi dicar (quamvis
me tamè ab hoc absolvit vestra humanitas) & speculia-
riter quadam edisseram de Historia usu, quatenus per
se seorsim spectatur. In quo tamen ita me geram, ut
patientiam vestram non abutar nimis. Civilem Vitam
in belli pacisq; tempora distribui, nemo paulò humanior
ignorat: ad utrumq; tempus rectè gubernandum post
Pietatem inprimis prudentiam opus esse, qui vis puto
mecum facile iudicabit. Illa autem prudentia unde
paratur, nisi ex Historia? unde facilius, inquit fa-
rem.

Unde Philo-
p. 826
Cicero misti
Soc. Arer

Cū dicitur pātes
quā et Anā
tūm mōmē
mētū

res bellica aut omnis Reip. disciplina cognoscetur?
Solent vero duo statui modi, quibus ad civilem pruden-
tiam perveniamus, aut experientia propria aut a-
liena. Non quidem negare possum, experientiam
propriam & civilium actionum peritiam multum iu-
vare animi perspicacitatem. Sed illa experientia
nonne multo labore, varijs casibus & rerum discrimi-
nibus, nonne multo rerum usu constat? qui non nisi se-
ris venit ab annis; sed unde iuvenis, qui nullam adhuc
Reip. partem attigit, si forsan ad Remp. postea vo-
cetur, unde illam sibi comparabit? ex se non potest.
nihil enim ortum simul & perfectum. Et quamvis
natura quadam bonitate ac solertiā polleat: tamen ad
eam rerum civilium cognitionem adferat necesse est,
si rectē velit administrare Remp. unde autem eam su-
met? nonne ex Historia? quæ est incorruptissima ex-
perientia testis, quæ est magistra vitæ optima. Hac
prævenit annos, & vel iuvenem canā informat pru-
dentia. Et hæc prudentia ex alienis casibus tutior,
paratior, ac faciliior est: illa vero ex proprijs casibus
longè difficilior, ut ante capi monere, molestior &
periculosior. Ut eum qui peregrinando varias regi-
ones perlustrat, qui multorum mores hominum & ur-
bes videt, multas molestias devorare, varijs casibus &
itineris difficultatibus iactari oportet: cum contra a-
lius

lius domi quietus sine omni
periculo, sine metu latronum, impostorum aliorumve
incommodorum (quæ peregrinantē vel invitum com-
tantur) in libris totum percarrere possit orbem, non
decē vel pluribus annis instar Ulyssis alicuius, sed par-
vo temporis spatio. Et tamen hic interdum melior
inde discedit, quam alter ille, qui cum omne mundi la-
tus excusserit, nonnunquam coelum tantum, non pra-
vum animum mutavit. Hisce tamen verbis non hoc
intendo, quasi peregrinationes improbem, absit: o-
mnino scio futuro Politico utiles esse, modo rectē adhi-
beantur. Nec id volo, quasi aliquis ex Βιβλίσ το Βεργήτης,
vel ad amussim Politicus statim possit evadere, etiam-
si gubernaculo nunquam manum admoverit: vel ex
solis chartis plene aliquem posse sapere, experientiam
verò propriam nihil vel parum facere ad civilem pru-
dentiam. Non hoc volo, cum haud ignorem, si expe-
rientia propria cum alienorum casuum observatione
iungatur, exactum inde prudentiæ civilis opus surge-
re. Sed hoc est quod volo: Qui recens accedet ad
Remp. & nullum adhuc rerum usum habet, non me-
lius eum discere, nec facilius sibi parare potest, quam
ex Historia. Verum hoc non fit verbis, merito mihi
aliquis oggerat: rem auctorem des. Fateor sane, ac
dabo. Sed quantum & mea tenuitas, & temporis
huius angustia, & orationis institutum admittet. nam

lius domige
tus sine omi
aeris interior
sine maris pe
riculo

Omnia uallo
persequi, nec
unig. horae
ubi et, nec
Suis loci.

ⁱⁿ nec unius horae res est, nec huius
loci. Et primo quidem in uniuersum considerandi
veniunt in Historiâ Rerump. ac imperiorum ortus, in-
crementa & decrementa, eorumq. causæ: quibus sci-
licet artibus & institutis non tantum partum sit, sed &
auctum imperium, nec tantum auctum, sed & serua-
tum. quibus uitij ac corruptelis in peius ruere,
quibus pessum ire caperit. Ad hanc rem præit Histo-
ricorum Lat. princeps, ubi de Romanorum imperio a-
gere incipit: iubetq. nos ad illa acriter inte- dere ani-
mum, quæ uita qui mores fuerint: per quos uiros, qui-
busq. artibus domi militiq. & partum & auctum sit
imperium: labente deinde paulatim disciplina uelut
dissidentes primò mores sequi animo, deinde ut magis
magisq. lapsi sint, tum ire caperint præcipites, donec
ad hæc tempora, quibus nec uitia, nec remedia sua pati
potuit peruentum est. Hæc si sedulo obseruentur, sta-
tus inquam & mutationes imperiorum, earumq. cau-
sæ, non aliter potest, quin ea simul homini (nisi quis o-
mnem pietatis sensum eiurauerit) & æconomia di-
uinæ respectum, & Dei timorem ingenerent. Tum
& nobis documento erunt: qua ratione parua Resp. fi-
eri possit magna, & quibus remedijs queat à morbis
externis uel internis præseruari, uel male affecta cu-
rari: si causas morborum, interitus, uel mortis alia-
rum Rerump. seriò excutiamus. contrariorum e-
nim

nim eadem solet esse natura.

Reip. quid conducibilius ad felicitatem eius consti-
tuendam esse potest? Hinc per partes considerandam
Historia proponit ipsam rerum belli pacisq. tempore
gestarum seriem: & in illa circumstantias locorum,
temporum, rerum & personarum. nam horum o-
mnium uarietate sæpe gravissimorum negotiorum mo-
menta stant aut cadunt. Notitia enim locorum quan-
tum profit in bello, ut de hoc primum dicam, Historia
passim testatur, cum docet: ubi commodè sint castra lo-
canda, ubi cuniculi fodiendi, qui locus sit aptus ad ca-
uendum, uel persequendum hostem, uel transeun-
dum uel recedendum: ubi comæatus optimè possit
haberi, & his similia. Temporum quoq. oportunita-
tem in bello multum posse, belli duces non nesciunt. U-
trum scilicet diurno tempore sit aggrediendus hostis,
an uerò tenebrarum uel solis aduersi, uel tempestatis,
uel pulueris excitati beneficio sit circumueniendus, &
ut paucis multa complectar, quomodo rei bene geren-
dæ occasio, quæ ualdè præceps solet esse in bello, sit ca-
ptanda, quod sexcentis exemplis Historia docet. Nec
id tantum docet in negotijs belli, sed & civilibus, u-
bi loca & tempora sæpe variant consilia. In Rerum
uero circumstantijs quid obseruandum sit, paucis no-
bis præscribit Cicero, sed fusius explicat Historicus:
In rebus scilicet magnis memoriæq. dignis tam sagi-
quam

nim eadem so-
let esse natu-
ra. Et hæc
re quid uelut

quam togae p-
mim consilia
faciende acta,

quam togae p-
mim consilia
faciende acta,
tum ⁱⁿ consilia, deinde acta, postea even-
tus considerandos esse. Consilia enim rem geren-
dam solent precedere: Et in his non tantum finem,
sed etiam media ad illum consequendum sibi ob oculos
ponit, qui rem aggressurus est. Quomodo enim a-
liquis rectè ullum opus auspicietur, qui summam illius
non ante fuerit animo complexus? aut qui non mente
praeceperit, unde, quorsum Et cuius rei gratia illud o-
pus ordiatur, aut quomodo ad praefixum scopum per-
venire possit. Et hoc qui negat tradere Historicos,
nescit quid sit Historia. Nam hi iubent principia Et
causas rerum intueri, ultima cum primis comparare,
presentibus adiungere futura, Et hinc actionum sua-
rum metam dirigere. In belli verò consideratione
docent hi mortui magistri causas diligenter esse inve-
stigandas, veras à falsis discriminandas, distinguen-
dum inter ^{ἀμνον} Et ^{περὸ φασιν}. Nam interdū fit, ut hostis
vel nimia dominandi libidine, vel solā ambitione alia-
ve cupiditate ductus, honesti vel nullam vel exiguam
rationem habeat: sed praetermissis veris causis ad in-
justos praetextus confugiat, interim tamen illos hone-
sti specie velet. Nisi tunc praetextum à vera causa se-
dulo discernamus, haec res facile nobis imponere possit.
Sed eo cognito, verisimiliter quoque de hostilis animi
 proposito iudicium facere licet Et ex eo rationes suas
 instituire: praesertim si non tantum belli hostilis cau-

sa,

sa, seu Et consilia, deinde
in considerationem, ut fieri solet, trabantur. Consili-
um excipiunt Acta. Hic non tantum attendi solet Et
debet, quid actum vel dictum sit, sed etiam quomodo,
Et quo respecta: an casu aliquid factum sit, an frau-
de, an prudenter, vel temerè. Ex alienis enim casti-
bus nostram possumus exaedificare sapientiam, ex a-
liena stultitia nostram prudentiam, ex aliena imperi-
tia nostram peritiam, ex aliena temeritate nostram
providentiam, ex aliena fraude nostram cautionem,
nostram integritatem. Tum Et ideo rei gesta mo-
dus Et causa consideratione praecipua digna sunt, quia
pro harum varietate variare quoque ut plurimum so-
let eventus. Bene enim consultata Et prudenter in-
stituta plerumque solet felix exitus manere: Et secus
instituta, infelix. Si verò bene cogitata Et incepta
male cadant, Et finis propositus frustretur, tunc con-
silia superat fortuna, ut veteres loquebantur, ut verò
nos Christiani, providentia divina: quae propter va-
ria hominum peccata interdum negotia illorum ita dis-
pensat, ut ad optatum exitum pervenire non possint:
quae tamen iustissimus Deus ad bonum Et nobis utilio-
rem finem iterum scit dirigere. Et cum vel optimus
iaculator interdum à scopo aberret, monet nos Deus,
non humanis consilijs vel viribus omnia geri, sed nutu
potissimum divino: tum Et arguit hoc rerum huma-
narum

sa, sed et con-
silia Socris a
viris viris ac
apparatis

nam in con-
stantiam, qd
alia

possunt. Hæc si nesciat Ethnica Historia (ut forte nescit) sed omnia vel fato vel fortuna tribuat, tunc possumus illam hic, ut & in alijs, exorbitantem ad semitam veritatis divina revocare. Hactenus ea adumbravi quæ rem gestam antecedant, comitentur & consequantur, vel rerum gestarum consilia, causas, modum & eventum: quæ si tollas ex Historiâ, commissio mera est, non opus ad erudiendum lectorem comparatum, & in præsens quidem oblectationem, in posterum verò utilitatem nullam affert, ut verè judicat gravissimus author Polybius, qui, si quisquam alius, accuratè inquirat in causas rerum, unde & Historiam suam ἀποδεικτικῶν vocare solet. Quorsum enim, inquit, ægroto medicus? qui causas ignoret affectionum humani corporis. Quæ item viri illius utilitas? qui ad tractandam Remp. accessit, & nescit dignoscere quomodo, quare & unde singula, quæ eveniunt, causam cur fierent, sint nacta. Hæc præclarè monet Polybius. Sed quid si Historicus aliquis nudè tantum rem narret, & rei gesta causas, modum & eventum non ubiq; adiungat, quid tum faciendum est? tunc boni interpretis vel lectoris esse puto, ut authorem cum authore sedulo conferat, & quod hic vel ille prætermisit, ex alio depromat vel eliciat, donec tandem ad vericubile perveniat. Vel si hoc non potest, ut circum-

stan-

sunt, accuratè ponderatis, causas rerum probandi coniecturâ venetur. Et hoc ideo, quia serio hæc notasse rei caput est, & nos supra vulgum ponit, qui ex eventu temerè iudicat, non ex ratione consiliorum aut providentiæ divina. Nos verò demum prudentiam illam civilem (de qua caperam dicere) nobis hinc comparamus, quando plura similia vel singularia observâtes, non tantum ut gesta, sed & cur ita & non aliter gesta sint, vel cur aliter atq; aliter gesta sint, inquiramus, ac eventuum causas ac diversitates sedulo excutiamus. Ita fiet, ut coniecturâ ex ijs quæ iam acciderunt ductâ futura providere: & si quando rursus similia occurrant (ut eadem adhuc agitur fabula, mutatis tantum personis) ad aliorum gesta vel gestorum circumstantias respicientes rebus nostris rectè consulere possimus. Hæc est illa prudentia ex plurium similium vel dissimilium casuum observatione collecta: hic demum est verus Historiæ fructus: hoc est, quod Aristoteles viris politicis instillat, ut diligenter animum intendant τοῖς λεγομένοις σποράδην, δι' ὧν ἐπιτυχῆσαι πρὸς, publicatis nimirum exemplis eorum quibus consilia alacrius experientia bono cesserit, vel, quod idem est, quæ consilia quos exitus habuerint. Atq; alibi monet ad civiles deliberationes ac consultationes imprimis opus esse Historiæ cognitione. Et hæc sufficiant alla-

stantiam no-
mentis si que se
vel. si ueniret
sunt

D

ta de

ta de circumstan-
tijs rerum. De
rebus autem cum
dixerim

serim, simul de personis me dixisse intelligitis, sine
quibus res geri non possunt. Tamen de illis vel ma-
joris perspicuitatis causa quaedam adhuc addam. In
personarum circumstantijs Historia præscribit: quomo-
do cum magnis, mediocribus, minimis sit conversan-
dum: quid cuiq; debeat, quid cuiusq; officio conveni-
at. Quomodo indigenæ sint tractandi, quomodo a-
more sint devinciendi, quomodo legum moderamine
sint coercendi, vel, si licentiæ fibulam laxent, & extra
legum vel obedientiæ metas forte ruant, quomodo ad
obsequium sint revocandi, quomodo factiosus sit obvi-
am eundum, quomodo seditionum, si forte suboriantur,
semina sint suffocanda: & hæc omnia non præceptis, ut
Politicus, sed vivis præscribit exemplis. Præscribit
Historia, quomodo cum exteris agatur in legationibus
obeundis, quid illos qui mittuntur, quid istos ad quos
mittuntur deceat: quibus cautelis opus sit in foederum,
induciarum, pacis, & conventionum publicarum iuri-
bus ac solennibus. Bonus enim Historicus non hæc
crasso filo pertexit, sed iubet sedulo animū advertere,
an ille cum quo tractamus, temporibus etiam insidie-
tur, an per ambages vel aperte rem agat, an coacte
vel liberè, an dolo vel fide. Sed hæc sunt publicis sa-
poris. Quid verò separatim ac in singulis personis
sit observandum, non perfunctoriè quoq; tradit Histo-
ria

Historia. Cum enim cum
gnam emulationis flammam excitare soleant in pro-
borum iuvenum animis, bona autem amulatio sine bo-
no exemplo esse nequeat, & hinc Historia quod suum est
agit. Tot enim præstantium virorum exempla propo-
nit, ut ferme difficilis sit delectus: nullum tamen fru-
ge suâ caret. Dantur quidem hodie in communi con-
versatione inter vivos eximia quaedam virtutū exem-
pla, sed ea valde rara. Quinimo plura dantur prava
emulationis, fastus, deliciarum & libidinum exem-
pla: & multi interdum subvertunt etiam invitum,
ac præter animi sui sententiam, qui bene à natura con-
formatus erat: & prava consuetudo sæpe vitiat bonos
mores. At Historia conciliat nobis huiusmodi socios &
amicos, cum quibus innoxie licet conversari, quorum
familiari as tantū abest ut nobis aliquid mali affricet,
ut etiam ad optima vitæ instituta, ad optimos mores,
ad præclaras virtutes nos deducat. Cum his consuetu-
dinē habere, hos sectari, horū vitam, mores, dicta ac fa-
cta sedulo intueri ac observare nos oportet: quid in hoc
vel illo casu publice ac privatim, domi forisq; egerit
Abraham, David, Iosaphat, Josephus & alij; vel in
Historia externâ Themistocles, Aristides, Pericles &
quicquid est veterum Heroum: quid dixerit vel Cato
vel Fabricius, qualem se exhibuerit Epaminondas vel
Regulus & reliqui. Nec sufficit hæc intueri, sed &
ad

Historia. Cum
u. clariorum
virorum ex-
empla magna

ad illorum mo-
res, dicta ac
facta, vitam
tuam componis,
inde

tibi tuaque reip. quod imiteris capies, inde sedū inceptū,
sedum exitū, quod vites: ita demum rectē intueberis.
Socrates jubebat olim discipulos suos crebrō semet in
speculo contemplari, ut quicumque eorum commendabi-
lis esset formā, impendio operam daret, ne dignita-
tem corporis pravis moribus dedecoraret: qui vero
corporis specie non adeo præstaret, in id sedulo incum-
beret, ut formæ damna virtutis laude sarciret. Re-
ctē quidem illud Socrates. At Historia est verum il-
lud speculum, in quod non tantum intueri, sed per quod
etiam emendare possamus non tam formam externam,
quam internum animum. Hoc consulamus, ad hoc
nos exigamus: & si quæ sordes ac macule vitiorum
nobis adhæreant, illas diluamus fugā turpis, & amore
bonestī. Solebant veteres Romani in prima adium
parte maiorum effigies ac statuas cum titulis suis col-
locare, ut eorum virtutes posterī ex quotidiano statua-
rum aspectu & mirari & imitari discerent. Sed in
illis statuis quid aliud, quam rudis quædam corporum
imago expressa fuit? in Historijs vero non tam corpo-
rum, quam mentium ac ingeniorum characteres vivis
coloribus depicti sunt: ita ut veteres illæ ac fortes a-
nima non muta & elingues astare (ut prisorum ima-
gines) sed coram loqui, coram in commune consulere,
coram fortitudinis, continentia, constantia & alia-
rum

nos ad eadem animare videantur. Sic inspicere van-
quam in speculum in vitas omnium decet, atque ex alijs
exemplum sumere sibi! Hoc facito, hoc fugito, hoc lau-
di est, hoc vitio datur. Non enim sufficit scire tem-
perantiam esse virtutem, sed & cupiditatem fræna-
re oportet. Non sufficit rectum à pravo posse dis-
cernere, nisi hoc declines, illud amplectaris. Hanc si
rationem inearis, fidem dabo non periturum oleum &
operam huic studio civili impensam: sed publicè pri-
vatimque decus eximium rebus tuis allaturam. Ve-
rum hætenus dicta de præstantium virorum imitatio-
ne loquuntur. Quid verò sentiendum de Tyranno-
rum, de sceleratorum, versutorum & versipellium ho-
minum malitiā ac fraudibus, quas tam operosè recen-
sent Annales: nonne satius esset hæc omnia ignorari,
quam tam accurate describi? cum & scire interdum
noceat, præsertim si in hæc talia non confirmatus lector
incidat. Ad hæc paucis sic habete. Non tantum ita
legendam esse Historiam, ut fructum inde optatum ca-
piamus, sed & ne incommodum aliquod nobis accer-
samus. Itaque sic statuendum est, hæc ideo memorie
mandata esse, non ut imitemur, sed ut aversemur.
Accipienda scilicet sunt hæc ut Medicorum monita de
venenis, & Philosophorum præcepta de sophisticis te-
chnis, non ut a sumemus eas, sed ut caveamus. Sive-

zūm virtū-
tum facimur
ta nobis adire
et suo exemplo

20 maliferia
quidam sac
ad ignavos u
commentat.

hoc tantum accidit Historia, nec rei dignitati aliquid detrabit. Prudens nigrum albo facile sciet discernere: Et instar apis ex floribus Historiarum salubre mel colliget, ac vera prudentie succum imbibet, non instar araneæ venenum aliquod inde contrahet, quod in Reip. pestem deinde redundet. Sed hic subsisto Et tandem manum de tabula tollo. Cum itaq, tam prestans, tam iucunda, tam fructuosa sit Historia, ut hactenus audivistis, quis non in manibus, in oculis gerat? Cogitate juvenes, non aurium delectationi natam esse, sed rerum humanarum institutioni: sed ut praeclaris monitis Et exemplis animum adversus humanos casus ac seculi vitia muniatis: non qua doceat praeter propter vitam vivere, sed in ipsa: non qua doceat tantum de virtute disputare, sed Et ex virtute vivere: hanc consecrabitur, hanc amplectemini. Non deerit illa iuvante Deo vobis, nec vos ipsi deesse debetis. Utemini re- Et clementissima S. R. Mtis. beneficiam, per quam Musis licet esse bene, sub cuius patrocinio tanquam veri Herculis Musagetæ tuta, pacata ac literata otia agunt: cum in exteris quibusdam locis, ubi Et literis olim suus fuit honor, nunc Musarum sedes militum barbaries occupavit. En queis conservimus agros! Nos ergo gratulemur nobis de fortuna nostra, quod S. R. Mtas vel in medijs belli occupationibus pacis negotia
tam

tam strenue tam jenu
stro clementiss. nutricio ac defensore, religionis ac literarum studia ferveant vigeantq. Protegat Deus tantum Heroem omni Virtutum laude, omni victoriarum gloria florentem! velit Deus illud bonum, quod semel largitus est, semper nobis proprium esse ac perpetuum.

tam strenue
tam filitite
promoveat
quod Rege
nost-a

D I X I.



IOHANNI LOCCENIO IC.
Regio in Academia Ubsaliensi Historia-
rum P. P. & ordinario:

LOCCENIUM integritas, facundia; Juris & æqui, Et veterum, Historiæ sinuosa volumina, morum, Quos dant, cognitio, dudum his, quos clarat Apollo, Ascripsit. REX audijt hoc GUSTAVUS ADOLPHUS: Nec mora: SALANIS præstantem adjungit ATHENIS LOCCENIUM, gaudent Patres, clarusq; Lycei Et Doctorum ordo, & Juvenum. REX maxime REGUM, REGEM ipsum, & SVECA serva clementer ATHENAS!

Dn. Collega, compatri Et amico meo

f. JOHANNES SIMONIUS,
Skyttianus in Regia Ubsaliensi Academia
Oratoriæ P.P. & Ordinarius.

A L I U D.

Laudes Historiæ utilemque fructum
L O C C E N I tuus, Atticis opimè
Spirans sermo velut favis, disertus,
Exornat cumulatque gratiosè;
Immò ipso Historiæ è scatente fonte
Extollit celebratque gloriosè!

Fælix iste labor labore parta &
Docto gratia: Tu decus sonando,
Laudes dum cumulas celebriores
L O C C E N I, Historiæ perennioris
Interpres celebris: tibi perenni
Famâ perpetuas stilo decorem.
Sic laudem comes insequi solet laus,
Sic virtus comitata Gratijs, sic
Virtutem favorille Gratiarum!

SVENO JONÆ We.
strogothus Sanctæ
ling. P. ord.



ORATIO


IOHANNIS SCHRODERI
SKYTTE SVECI, 18

SINE ELOQVENTIA AD ERVDI
tionis fastigium perveniri non posse.

RECITATA IN CELEBERRIMA
Marpurgensium Academiâ mense Nos
vemb. Anno &c 1598.

AD

ILLVSTRISSIMVM,
POTENTISSIMVM ET LITERATIS
simum Principem ac Dominum, DN: VVILHEL
MVM, Ducem Brunsvicensium & Lune
burgensium, Dominum suum
clementissimum, &c.



STOCKHOLMIAE

Imprimebat Andreas Guttervitz
Anno Christi 1604.